

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1024

1022

1028

1018

1033

1013

1073

0973

1123

0923

0523

0023

Ende

Anfang

451

Tristitia peregrinis adveniens.

Vicesima tertia die eramus parati adscendere in montes sanctos Synai, Oreb et S. Catharinae, sed infirmi peregrini, nostri confratres, supplicabant nos, quatenus usque in crastinum exspectaremus, ut interim roborti nobiscum possent ascendere. Condescendimus autem petitioni eorum et cum patientia mansimus in quiete, veruntamen post Missam et prandium iterum loca sancta intra monasterium visitavimus pro indulgentiis (†) et claustrum transivimus videntes singula.

Porro circa vesperam venit unus de capitaneis Arabum, princeps latronum deserti cum multis complicibus armatis et in monasterium ingressus locavit se cum suis prope locum et habitacula nostra, qui exspectabant et observabant introitum et exitum nostrum; nam propter nos venerant, ut jura sua injusta a nobis exigent. Erat autem hoc nobis singularis crux et omnis gaudii nostri triste temperamentum, nec poteramus de habitaculo nostro in ecclesiam S. Catharinae descendere nisi per medium nostrorum exactorum. Erant enim gradus, per quos de nostro commodo in curiam descendimus et de curia in ecclesiam virginis Catharinae, ipsi autem Arabes in curia jacebant die et nocte et nos descendentes et ascendentes diligentissime considerabant, nec ad puteum pro aqua poteramus venire nisi per medium eorum. Nihil autem nobis faciebant, nec bonum nec malum, nec nos proclamabant, sed tamen eorum exspectatio nobis molesta erat. Hora coenae appropinquante coximus pro coena et pro crastini diei prandio, sicut per desertum facere consuevimus, quia in alia die non eramus habituri tempus vacans ad præparationem prandii, sicut ostendetur.

Quomodo peregrini adscenderunt montem sanctum Oreb et Synai et quomodo diversae adversitates eis acciderunt in ascensu illo, et de montis et viae dispositione.

Die XXIV. tribus horis ante lucem solis surreximus et in capella latina Missas celebravimus, quibus peractis venit

29 *

